

s. o. 27542 233293

# CATACLYSMOGRAPHIAM HELVETIÆ.

Censuræ publicæ subjicient

*JOH. JACOBUS SCHEUCHZER*, M. D.

Archiater, Phys. ac Math. Prof. Capituli Thuricensis Canon. Acad. Imp. Nat. Cur. Adjunctus. Socc. Regg. Angl. Boruss. ac Instit. Bonon.

&

*pro consequendo Examine Philosophico*

CONRADUS MULLERUS.  
JACOBUS WYSSIUS.  
HENRICUS WASERUS.

H. L. Q. S.


Ad diem Januarii.




---

FIGURI,  
TYPIS MARCI RORDORFI,  
ANNO MDCCXXXIII.

*AB Naturhantas tropheum*





Κ Α Τ Α Κ Λ Υ Σ Μ Ο Τ Ρ Α Φ Ι Α  
H E L V E T I Æ.

I. **E**lementa ut ante Parentis protoplasti lapsum fue-  
re Corporibus humanis amica , Sanitati pro-  
pitia , necessitudinibus nostris præcisè commen-  
surata , ita post & adhuc agmine veluti denso  
prorumpunt, atque in perniciem Mortalium con-  
jurant. Inimica sunt nobis, imo lethifera, ea ipsa, qui-  
bus ne per momentum quidem carere possumus, terrificæ sal-  
tem, & ut Bonitatis ita quoque Justitiæ divinæ ἀναμφοιβήτη-  
τα τεκμήρια. Extremis duntaxat digitis rem tango ampliori  
& sollicita indagine dignissimam. *Progerminat spinam atque  
tribulum terra maledicta Gen III. 18. Devorat rapacissimum  
Ignis elementum obvia quæque, & summè necessaria nobis  
per incendia rapit. Πῦρ ἐρρονοπέτες nupero Anno descripsimus  
in Cælo tristi ad Kalendas Julias. Februario hujus Anni Aeris  
injurias experta sunt Animantia inprimis cornigera. Volabat  
per terras nostras sagitta (Cancer volans) pestis, quæ in obscuro  
grassabatur, & exterminium vastans meridie minabatur. Ps. XCI.  
5. 6. Septembri atque Octobri mensibus vidimus his no-  
stris oculis, alii suis, exundantes à Fluminibus vastationes. Jes.  
XXVIII. 15. 18. 19. Summersam alluvionibus Tellurem. Job.  
XIV. 19. Quæ materiam fœnerantur huic Dissertationi.  
Die 15. Decembr. iterum, ne absque novo monitorio ter-  
minaretur Annus, vel securos nos, vel Lethargo obrutos  
excitavit Incendium, quod igne subcinere doloso latente, cor-  
ripuit Nosocomii partem h. 3. a. *Musshafen* dictam, &*

A

Con-

Contignationes omnes tres quadrihorii spatio in cineres rede-  
git, miserando 22. Personarum, quæ in Igne perierunt, &  
2. ex lapsu, spectaculo.

II. Transeunte per Æquatorem Sole, & æquante no-  
cti diem Libra insignes ordinariè fiunt mutationes tum in At-  
mosphaera, tum in corporibus nostris. Hoc quidem Au-  
tumno anni 1732. per Septembris magnam, postremam in-  
primis, partem dominium obtinebant Venti austr-occiden-  
tales, qui sextiduo ultimo non tam spirabant, quàm fure-  
bant per nostras non solum, sed totius Europæ Provincias.  
Collecta magna Vaporum copia, & rarefacto Aere, frequen-  
tibus imbribus effusa inde à 20. die ad finem Mensis Pluviæ  
dabat in nostro Horizonte 44. lin. sive 3. digitos 8. lineas, &  
sola nocte inter 29. & 30. media 14. Quæ Aquæ quanti-  
tas  $\frac{1}{5}$  circiter ejus, quæ quotannis Lutetiæ Parisiorum cade-  
re solet, in Alpibus dabat Nivem: hæc à Sw. fortissimo  
præproperè liquata causa fuit primaria Inundationum, *Silæ* in  
specie, quæ describenda venit, extraordinaria prorsus, &  
omnibus Torrentis hujus accolis terrifica. Et classicum veluti Ele-  
mentorum pugnae dedit insolitus circa hoc Anni tempus Ba-  
rometri lapsus ad 25. digg. 10  $\frac{1}{2}$  lin. qui contigit die 24.

III. Germaniæ illata ingens vaporum, qui terras nostras  
transvolarent, copia, occurrans forte Aeri compressiori Se-  
ptentrionali, & in unum coacta, imo collisa, gravissimos  
causabatur Exhydrias, unde Neccarim inter ac Tubarim effu-  
sis veluti per amphoras aquis maxima ab exundantibus rivis  
atque fluminibus damna passæ fuere Urbes, Oppida, Pagi,  
in Circulo præsertim Franconico, unde tristissimi advolarunt nun-  
tii. Die nempe 29. Sept. Michaeli Divo sacro, Inundatio-  
nis silæ præcedaneo, Suobaci ipso citato die Encæniis conse-  
crato exundavit rivus duos tresve passus latus ab Ecnephia eo  
usque, ut inter h. 9. ac 10. Solo æquatæ fuerint Ædiculæ pi-  
scatoriæ sex, Pontes ablati totidem, Macellum è faxis qua-  
dratis extractum, duæ aliæ civium ædes, quarum trabes &  
utensilia abrepta tanto impetu assiliebant Ædes alias obvias,  
&

& oppidi muros, ut eadem nocte corruerint septem octove Ædes, murus ipse cum turri superextracta: molendinum quoque semihora ab Oppido distans una cum horreo undis cessit in prædam, sepultæ sub ruinis vel & submersæ in undis personæ octo; numerabantur 40. ædes aliæ ab aquis ita subersæ, ut ruinæ fuerint proximæ. Hæc refero, quia ad rem faciunt præsentem, & *αυτόπτην* habeo testem. Eodem die idem vel majus infortunium Comitatu *Wertheimensi*, ubi quoque ruebat æthere toto turbatus imber aqua h. 3. p. atque adeo intumuit *Tubaris*, ut versus *μεθονύκτιον* ad 15. pedes assurgens maximo impetu abstulerit, molendina, pontes, naves, suburbii prostraverit ædes, Hospitali inprimis adsitas, quod unâ cum Templo aquis cessit in prædam, & in urbe Werthemio solo Ædes solo adæquatæ numerentur 25. Taceo damna illata Francofurto ad Mœnum, *Erbaco*, *Michelstadio*, *Locis* aliis. Naufragia item in Oceano et Mari Mediterraneo, de quibus tristes undique advolarunt nuntii.

IV. Pergo ad exundationem insolitam prorsus *Silæ*, quæ aliàs circa hoc Anni tempus jucundo murmure labi solet, nunc vero undis, & aquis inprimis nivosis aucta, confluis undique & magno numero rivis, velocissimo motu (quem ad normam Philosophiæ modernæ experimentalis non mensuratum fuisse doleo) rapiebatur: rupti aggeres tantum non omnes ad prima usque stamina: radicibus evulsæ arbores, trabes crassissimæ in mediis natabant undis, lignilegis (sit venia verbo) triste sui linquentes desiderium: Stabula, Ædium partes, asseres, cistæ, utensilia. Ad Pontem *Silæ*, qui *Tugios* determinat à *Tigurinis*, & angustis ripis aquas claudit, accreverunt hæc ad 18. vel 20. pedes, quæ procul dubio omni abstulissent Pontem ipsum, ni asseres laterales maturè fuissent semoti, & rapidis aquis cursus super ipsum Pontem redditus liber: quibus interea resistere non poterat Pons superior, *Finstersænnis*: Ruinam quoque minitabantur Pontes ad *Schindellegi*, *Langnau*, *Leimbach*. Pagus & Agri *Adlisvillani* inundati ab aquis; magnam præ aliis jacturam passus Molitor, cui Rotæ fuere destructæ, & ab Aquis furentibus ab-

reptæ, Frumentum, Farina, Utenfilia obruta, ædes undis cinctæ. Quæ eminus terrorem incusserat late patentis Lacus facies, incolis auxilio fuit. Horridum nobis civibus aspectum præbuit præterfluens partim, partim Suburbia ipsa perluens Sila, quæ aggeribus ruptis occidentalem inundavit Divi Jacobi *περίχωρον*, & pagi *Wiedikon* partem, campum quoque Martium: in officinam lateritiâ irruens Aqua luctam iniebat cum Igne pro Calce viva comburenda accenso; elevatus è furno, Calceque ipsa jam parata densissimus fumus Incendii speciem præbuit, falsumque rumorem sparsit. Ruinam haud effugisset Pons Silæ, qui Wiedikonam Urbi jungit, si ejusdem fuisset altitudinis occidentalis ripa cum Orientali, à ruina tamen ipse ille haud absuit longe, pilis licet lapideis fortissimis suffultus: suffosso à violentia aquarum jugo, quod urbi est proximum, structura pontis ipsius subsedit ad  $1 \frac{1}{2}$  pedes incirca, sed *ἀγαθὴ τύχη* Jugum ipsum subesum inclinabat sursum versus S. Ea fuit Torrentis tunc in Flumen mutata rapiditas, ut quovis momento novum præbuerint prospectum innatantia Ligna, & lutosæ Aquæ fluctus. Vidisses inter alia Trabem longam & duos circiter pedes crassam, quæ raro & singulari fato ita transversim angulo pilæ lapideæ acuto appulerat, ut utrinque ab Aquis veluti binis Vectis fortissimi brachiis fuerit diffracta, veluti si quis bacillum ligneum utroque brachio arreptum & genu applicatum vel Tibiæ frangeret. Hypomochlium ibi est angulus pilæ, heic Tibiæ anterior prominentia, Vectis heterodromi Brachia 5. vel 6. pedum Raptus Aquæ in extremo Vectis, vel Vectium duorum concursu, in axi fluenti velocissimus ideam sistit rapidioris fluidi vitalis per medios vasorum sanguivehorum axes, quæ doctrinæ de Secretione & Nutritione portam aperit. Infra Pontem Silæ memoratum per planum inclinatum non tam fluens quàm præcipitata Aqua speciem sistebat Cataractæ: assurrexere cum horribili strepitu undæ in fluctus spumantes, ut conspicere licuerit Scillæ æstuantes furores. Vidimus &, qui fluctus navigiis secarunt per viam *das Wehrgeßlin* dictam, quod Hominum memoria haud contigit. Interea temporis non quidem cohibitus fuit, sed retardatus, *Limagi* qui *Aa* nomine Urbem

Urbem perfluit, motus, & Rotarum in molendinis Urbis gyratio tantum non suppressa. Quod Phœnomenon in memoriam revocat Rhodani versus Genevam refluxum, quem haud semel causabatur Arvæ rapiditas & magnitudo, ut molendina illius urbis in contrarios motus fuerint acta. *Lacus ipse Tigurinus*, & supra nominatus fluvius *Aa* notabiliter illo & sequentibus diebus intumescere, non tam ab aqua vel refluxa, vel retardata, quàm à *Lintha* fluvio, qui Lacui dicto suas tradit aquas, & prata imprimis carectosa per *Castra Rhetica* & *Provinciam ad fines* inundavit ita, ut integer *Vicus ad Lacum* aliaque loca aquis fuerint tecta, & magna Fœni autumnalis, quod paleæ loco jumentis substerni solet, copia ab undis abrepta. Retardatus quoque Aquæ ex *Lacu Rivario* in *Lintham* rapidam nimis effluxus, & affluentes undique Torrentes, inundationem causabantur in oppidis, *Wallenstatt* & *Wesen*, ut apud nos *Rotasitium* (sit venia verbo) in Molendinis. Sic quoque Aquæ *Loretzæ* inundabant campos *Barenfes*, *Muotæ* omnem planitiem *Brunnam* inter & *Suitiam*, *Rusæ* campos & prata *Maschovandensia*, *Provinciarum Liberarum*. Clarum ex his omnibus, cur nullas passi fuerint exundationes vel Fluvii vel Rivi, qui ex montibus nive nulla tectis oriuntur, ut multi sunt hujus generis, qui Agrum Tigurinum perluunt. *Lucernensis* sive IV. *Croitatum Sylvestrium* Lacus, ut *Tigurinus* noster, ad eam circiter accrevit altitudinem, qua surgere solet media Æstate; hic quidem, qui die 22. fuit 8. dig 2. lin. die 30. fuit 7.3. ut incrementum fuerit 1. ped. 1. Dig. In *Sanensi Bernensium Valle* adeo intumescere Aquæ, ut supra centum numerentur jugera glarea, & arenis operta, pontes avulsi; sic et in *Sinea Valle* tam superiori quàm inferiori. Neque dubium est, quin passim intra fines Helvetiæ & extra majora longè ab Aquis nostris fuissent illata damna, ni impetus Aquarum fuisset interruptus à *Lacubus*, qui, quod ostendi alibi, propugnacula dici merentur Regionum quarumlibet inferiorum. Vel sola *Lintha*, et Aqua in eam influa ex Rivario Lacu, plerasque obtexissent Urbis minoris nostræ plateas, majoris quoque multas, ni sese divertissent illæ per totum Lacum Tigurinum, quem accrevisse diximus supra pedem.

V. Inundationum binas hactenus vidimus causas, Aquam cœlo lapsam. & Nives liquatas. Detegit alias Chronologica, quæ sequitur Inundationum, quas Helvetica Tellus est passa, Historia.

VI. Anno 1271. ita intumuit *Rhenus* ac *Birsicus* Amnis à Pluvia, ut *Basileæ* in foro piscatorio navigatum fuerit, & duo à Ponte juga fuerint ab impetu Aquæ avulsa. *Urstis Chron.*

Anno 1275. à continua Pluvia Niveque in Alpibus soluta ita intumuere Flumina, *Rhenus*, *Arola*, *Rysa*, *Limagus*, ut multæ ædes fuerint cum stabulis avectæ. *Basileæ* pons fuit die 29. Jun. avulsus, centum hominum jactura. Sunt, qui Inundationem hanc referunt ad Annum 1276. *Escher Chron.* ad h. à *Urstis Chron.* L. III. C. I.

Anno 1333. *Luceriæ* particulare Diluvium per resolutionem nubis aquosæ repente & ex insperato factum est circiter Festum S. *Johannis Baptistæ* horâ vespertinâ, quod contra minorem partem oppidi *Lucernensis* se in tanta inundancia & impetu totam *Vallem* occupando de *Griens* fluebat, quod hominibus habitantibus in oppido memorato non immerito incutere porerat horrorem nimium sed & pavorem: Nam excidium & destructionem suo cursu vehementissimo sibi minabatur, & insolitum exterminium. Nam terram abduxit, & arenam solam reliquit post se, quam super ortos & olera sparsit, & sic texit, quod nihil aliud apparebat. Fossata & vicos oppidi aqua & arena replevit, tuguria quoque & horrea secum tulit, & homines dormientes repertos in ipsorum feno ipsis ignorantibus prope villam *Lucernensem* devexit, & lapidem grandem trans altam *Zepem* jecit, incudem unius fabri de loco suo radicatus evulsam ad fossatum villæ *Lucernensis* deportavit, lectisternia & varia utensilia hominum secum importunissime detraxit, & in fluvium dictum *Rys* fluentem per oppidum *Lucernense* projecit. *Vitoduran.* in *Eccardi Scriptor.* T. II. p. 1807. *Escher. Chron.* ad h. a.

Anno 1338. in vigilia omnium Sanctorum propter nimiam & inspe-

*insperatam pluviarum in multis locis inundantiam Alemanniæ rivi & fluvii in tantum excrescebant, quod molendina multa, domos, Cœnobia, & in parte civitates subverterent, & cum multis hominibus inæstimabilem pecuniam absorberent & abducerent, supra modum quippe suos abveos exeuntes excefferunt: Præsertim autem in Basilea quidam rivus dictus Birsich inundationes excessu desævit, quod multam & gravem jacturam civitati, maxime autem fratribus minoribus intulit. Vitoduran. Lib. cit. p. 1849.*

Anno 1343. Die D. Jacobi ejus fuit altitudinis *Limagus*, ut super Pontes urbis (*Tigurina*) profluxerit, hique onerari necessum habuerint. In Templo Abbatissano natabant naves *Müllerianæ* Ædis & Pontis abductionem *im Hard* ad hunc annum refert *Escher Chron. Sprenger* ad 1349. *Rhenus Constantiæ* supra pontem piscatorium fluxit: Abduxit Pontes *Lauffenburghi* & *Rheinfeldæ* cum multis ædibus et muris. *Escher & Fueslin Chron.* ad h. a. *Lucernæ* ita *Rusa* intumuit, ut in Templo *γυμνασιῶν* attingeret altare majus *Stumpf Chron. L. VII. c. 7.* ex *Johanne Vitodurano*, qui videatur in *Eccardi Scriptor. T. II. p. 1876.* Parvus quoque fluvius innavigabilis apud oppidum *Wintertur* fluens *Tœsa* nuncupatus, quod unum Cœnobium *Monialium* cohærens sibi cum impetu pertransiens jacturam maximam intulit, imo quasi per suum augmentum more torrentis rapidissimum cœnobio & habitatoribus ejus minabatur excidium. *Id. p. 1881.* Molendina *Tiguri* omnia, binis exceptis, fuere avulsa ab impetu aquæ *Sprenger. ad A. 1349.*

Anno 1378. ita à Pluvia continua intumere *Rhenus & Birsicus*, ut *Basileæ* in Foro piscatorio nataverint Naves, & duo pontis arcus fuerint avulsi. *Urstis Chron. L. IV. c. 5. conf. A. 1271.* annon forte confundantur Anni.

Anno 1407. Solutâ copiosâ Lacuum & Fluminum glacie ac Nive, illapsâ pluvîâ calidâ adeo intumere Flumina, ut passim abducti fuerint pontes, inundatæ Insulæ ac campi magno accolarum damno *Schrovert. Grüning. Chron. Urstis Chron. Bas. L. IV. c. 12. Etterlin Chron. Tschachtl. Chron. ad h. a.*

Anno

Anno 1424. circa diem D. Magdalensæ per triduum lapsis pluviis ita crevere Aquæ, ut die 15. Jul. Rhenus minoris Basileæ muros superaverit, & duos Pontis abduxerit arcus. *Urstis Chron. L. IV. c. 24.*

Anno 1446. tanto impetu Aquarum fluit *Birsicus* Amnis, ut ad Forum Basiliense sex corruerint domus. *Urstis Chron. L. V. c. 44.*

Anno 1460. die 7. Aug. continuatis per triduum Imbris intumescere ita in Glaronensi Ditione Flumina, ut omnes Pontes, excepto *Suandensi*, in *Enge*, & *Sohlsteg*, fuerint avecti: *Lintha* Glaronæ ad Caemiterium usque profuebat, abstulitque *Löntscha* ædes quasdam & stabula. *Ægid. Tschud. Chron. MS. ad h. a.*

Anno 1475. die S. Johannis vesperi versus montem *Piati* oborta *Procella*, unde ita furere cœpit rivus *Krienbach*, ut inundarit agros, Prata, in pago *Kriens* & *μαγιστόρω*, abduxerit horrea, ædes, homines cum jumentis, & *Lucerna* minor, die *Kleine Stadt*, in periculo fuerit ruinæ. *Schilling Chron. MS. ad h. a.*

Anno 1480. Ingentia effecere damna inundationes; intumuit ita *Sila*, ut pagum *Wiedikon* prope Tigurum perluerit, & sesquipedalis fuerit altitudinis in Templo D. Jacobi. Qui *Andolfingæ* in ponte stabant, manus ex Fluvio *Rbeno* lavare poterant, (sed non fuit ejus altitudinis pons, ut nunc est). Idem tamen experiebantur *Basilienses* ex ponte *Rheni*. *Fueslin. Chron. MS. ad h. a. Stumpf. Chron. L. V. c. 28.* Abduxerat *Rhenus* pontes, *Scaphusianum*, ad Tribunal *Cæsaris*, *Lauffenburgum*, *Secklingam*, *Rhenofeldiam*, & portionum *Basiliensis*. *Escher. Chron. MSC. ad h. a. Urstis Chron. L. VI. c. 12.*

Anno 1488. Vespera D. Johannis et Pauli circa *μεσο-  
βύρσιον* insignem Eluvionem *Eulachia* passum est *Vitodurum*, non levi agrorum adjacentium damno. *Lindauer Annal. Vito-  
dur. MSC. ad h. a.* Anno

Anno 1496. magna intulere damna Fluminum Inundationes. *Escher Chron. MS. ad h. a.*

Anno 1506. Othmari die cœpit pluvia, quæ continuavit per 18. dies : hinc omnium Lacuum & Fluminum intumescentiæ & Inundationes. *Fueslin Chr. Mscr. ad h. a.*

Anno 1508. Lunæ die post S. Urbani pluvia lapsa per Nychthemeri spatium Inundationum noxiarum existit causa. *Fueslin ad h. a.*

Die Solis, qui præcessit Ascensionis Festum, intumuerunt Aquæ ita, ut aggeres è muro extracti ad *Tosam* pagum fuerint rupti. *Lindauer Annal. Vitod. ad h. a.*

Die Dominica post S. Laurentii Festum h. 10. p. effusa ingenti procella ea profundebatur Aquarum è nubibus ruptis copia, quæ ad insignem altitudinem elevavit rivum *Oetenbach*. Rivus pagi *Fellanden* abduxerat partem muri Templo circumducti, & Templum ipsum inundavit. Cellas vinarias passim expleverat Rivus *Hottinganus*. *Fuslin Chr. ad h. a.*

Anno 1511. valde intumuerunt Aquæ, *Limagus* Tiguri ita in altitudine crevit, ut naves natârint *Zwischen dem Helmhaus und Kauffhaus*. *Rusa, Arola, Rhenus* nunquam eâ altitudine fuerunt visæ, quâ hoc Anno, *Escher & Fuslin ad h. a.*

Anno 1512. Julio mense post pluvias ita in altum crevit *Rhenus Basileæ*, ut in Salis promptuario publico transportari merces debuerint ex inferioribus conclavibus in altiora. Pontes plures fuere abducti, & alia damna illata. *Urstis Chr. L. VII. c. 3.*

Anno 1514. magna damna fuere ab eluvionibus Aquarum exorta. *Lindauer Annal. Vit. ad h. a.*

Anno 1512. à lapsu montis vel Montium in valle *Brennia* seu *Plenia*, supra *Abeliascam, Abläsch, Abiassa*, vicum occlusus

clusus Fluminis alveus, Vallis mutata in Lacum, cujus altitudo attigerat medium Templi Parochialis, *Marvalia*. Triennio post A. 1515. eruperunt Aquæ tanta rapiditate, ut non solum vicus *Abeliasca* cum suis Terris, sed innumeræ vineæ, campi, prata, arboreta, ad *Lacum Verbanum* usque ingens fuerint passa damnum, 600. Homines suffocati, Pons *Bilitionensis* egregius *Portuna* dictus, *Ticini* ripas jungens, subversus, murus ibidem vallis propugnaculum. *Verbanus* ipse *Lacus* in tam enormes fluctus fuit agitatus, ut qui in eo tunc navigabant, in summo fuerint naufragii periculo. *Tschud. Helv. MS. Stumpf. Chr. L. IX. c. 5. & 8. Schweitzer Meyländkrieg. MS. L. II. c. 12.*

Anno 1519, Die Petri & Pauli circa *μεσονύκτιον* experta est *Basilea* ingentem procellam & Inundationem. *Urstis Chr. L. VII. c. 9. p. 528.*

Anno 1520. Circa mediam noctem effusa ibidem iterum ingens procella; intra horæ spatium ita intumuit *Birsicum*, ut Arcum cum parte muri, qua urbem influit, prostraverit, omnesque *Ædes* in suburbio *Steinano* Aquis fuerint cinctæ: ad *Forum Piscatorium* collapsa domus: alia quoque contingebant damna ab hac eluvione. *Werenfels. pred. von Wasserfluthen p. 10.*

Anno 1522. eluuiem passum est *Vitodurum* ab *Eulachia*, ita ut aggeres ad portam inferiorem & coriariorum *Ædem* fuerint perrupti. *Lindauer. Annal. Vit. ad h. a.*

Anno 1526. Die Veneris post Festum D. Jacobi adeo copiosæ erant Aquæ, ut vix à *Silæ* furentis impetu seruari potuerit Pons ad Templum D. Jacobi. *Stumpf. Chr. L. VI. c. 21. Die 26. Jul. alta valde fuit Tosa Bofsbart. Chr. Vitodur. MS. ad h. a.*

Anno 1529. D. 14. Jun. Urbi *Basileæ* haud parva intulit damna furens *Birsicum*. Submersi tres Viri. Ablatus Pons  
Lanio-

Lanionum : Forum frumentale fuit Lacui simile Aquis prorsus tectum. *Urstis Chr. L. VIII. c. 3.* *Limagus Badæ* ejus fuit altitudinis & rapacitatis per totam Æstatem, ut à Festo Paschatis ad Diem Bartholomæi nemo Flumen à Thermis majoribus ad minores navi tranare ausus fuerit. *Lindauer Annal. Vit. ad h. a.*

Anno 1530. Die 4. Jul. nova *Basileæ* intulit damna *Birsici* Inundatio, in cujus memoriam Tabula ænea prætorio fuit affixa, altitudinis Aquarum terminus. *Urstis Chron. Lib. VIII. c. 4.*

Anno 1542. Passum est *Vitodurum Eulachiæ* eluvionem à procella. *Lindauer Annal. Vit. ad h. a.*

Anno 1552. Die 18. Maji passum est *Sancto gallum à Petrosa* eluvionem, quæ Pontem superiorem Molendinorum (*Mühlbruk*) abstulit, & inferiorem quoque in discrimen coniecit. *Halmeyer S. Gall. Gesch. p. 524.*

Anno 1556. Septembris mense expertum est *Locarnum* terribilem Inundationem, cujus en Historiam ex relatione fida, quam habuere Locarnenses, tunc temporis Tigurum propter Religionem profugi.

Die secunda Septembris horâ ante meridiem quintâ ventus turbine siue procella ex Australi parte veniens, parietem arcis, quæ est ad alteram *Locarni* partem, ita dejecit, ut ejus ruinâ vicinarum ædium pars sit disjecta. Ab eodem turbine Archipresbytero in Divi Victoris Templo, quod est ad alteram Oppidi partem, missanti, arreptus est ex ara sacer calyx cum patina, qui ita procul ab ara deturbatus est, ut coactus sit alium calycem sibi sumere, si modo vellet, quod in manu erat peragere. Eodem die sub horam à meridie secundam nubibus atris ita obductum est cœlum, ut dies prorsus erepta videretur, ac paulò post tonitrua, & fulmina horrida tanti imbres consequuti sunt, quantos nullus,

qui vivat, se vidisse meminerit, utpote à quorum injuria nihil in ædibus relictum fuerit intactum. Perseverarunt autem ab hora secunda usque ad sextam. Interea torrentes & rivuli ex vicino monte decurrentes magnorum fluminum speciem referebant, quorum fragor adjectus, imò tonitrus horribico strepitui similis omnium mentes adeò dejecerat, ut existimarent universa mox interitura. Hoc igitur pacto consternatis omnium animis torrentem, cui *Romania* nomen est, ex monte ad Locarni latus decurrentem ita incluserunt convulsæ è rupibus arduis arbores ac lapides, ut in imam vallem delapsi intra horæ spatium aquæ cursus cohibitus ac retentus Lacum in valle profundum effecerit. Cæterum agger ille ex delapsis arboribus, tellure ac lapidibus, quæ imbris assiduis undantem diutius cohibere non potuit, ac mox effractis in valle repagulis summo cum impetu ac fragore unda decurrens, ut primum præterit à *Maria Lapidea* nomen habentem, cum torrentis alveo contineri non posset, ad sinistram & dexteram cursum obtinuit per declives vineas decurrens arbores, quibus vites maritantur palos, vites, ac quæcunque obvia diripuit, atque secum traxit, cum autem ingrederetur in oppidum, quod est ad montis radices in planitie situm, occupavit eam partem, quæ humilior, faciliorem præbebat in litus decursum, partim decurrens per viam, quæ *Magoria* dicitur, universa cæno, lapidibus per vicinas ædes diffundebatur, ubi & in cellis vinariis dolia ita confudit, ac loco suo movit, ut vinum omne tum præsertim mustum sit effusum. Jam in ea via tanta saxorum ingentium, ac reliquæ telluris materia substitit, ut alluvies illa, sinistrorsum ac dextrorsum pervagata, non parvum illic habitantibus detrimentum attulerit, materia verò & illic & in aliis tribus viis congesta tanta est, quantam vix poterunt in multos Annos, multo labore & sumptu submovere, ut taceam illam, quæ littus plateæ adjacens replevit, ac superiori plateæ æquavit. Jam ea torrentis pars, quæ per viam *Thomeorum* defluxit, secum trahens arbusta, lapides, ac limum mox & naves & ædes replevit. Illic autem (mirabile dictu) restitit saxum ingens apud *Francisci* cujusdam *Thomei* domum, cujus tanta est magnitudo, ut nesciatur, unde aut quâ sit devectum, utpote quod à via vix capi posse videatur.

Hoc

Hoc ubi transversam viam occupavisset, retrocedens aquæ cursus ac transversum iter arripiens cœpit. *Laurentii Cereii* domum ad dexteram convellere, atque disjicere, ubi & absorpta est ejusdem *Laurentii* uxor, ac non multò supra nurus una. Porrò nurus altera sursum ac deorsum vorticibus agitata semianimis tandem emerfit. Illic præfocatae sunt *Joannis Thomæ* tres filiae, ac paulò infra mulier cum duobus nepotibus; & *Catharina* quædam è superiori parte aquis deportata, filiolum habens complexam, cum ad supradicti *Francisci* domum pervenisset, prodiissetque vir ille utramque adjuturus, summo cum vitæ suæ discrimine, vix adjuta infantula mater à vorticibus fuit absorpta. Verùm aquæ ( ut dictum est ) cursus ad dexteram versus per transversum hortum decurrens, *Joannis Marcatii* novas ædes cum parte veterum convulsas solo æquavit, ejusdemque *Joannis* liberos tres præfocatos abripuit, Inde ceu hostis miles per domos populabundus, pleramque suppellectilem exportans, in proximum *Verbanum* devolvit. Illic (prohdolor) videre erat miserandam omnium rerum faciem, dum alius alii in tanta calamitate adesse non posset, neque quò fugiendum, aut ubi sibi esset sistendum cognosceret, quandoquidem universa videbantur ab alluvie penitus occupata. Porrò nullibi majus quàm ea via detrimentum acceptum est, in qua præter multarum rerum incredibilem jacturam periere utriusque sexus numero 13. Illic mulier quædam fortè fortunâ vacuum ingressa dolium, vitam conservavit, sed ita, ut dolio huc illuc aquarum fluxu ac refluxu diutius agitato, atque à remanente illic materia prorsus tandem obruto, vix misera in multam noctem, summo cum labore, inde fuerit extracta. Illud hoc loco maximè mirandum videtur, quòd vehemens ille atque improvisus torrentis impetus mentes omnium adeò consternerat, ut pater filium, Patrem filius, mater filios, matrem filii, uxorem maritus, uxor maritum, ac breviter quisque sibi vel charissimum deserere coacti, atque ita deserere, ut prorsus ignorarent, quâ irent, aut unde abirent. Illic præterea audisses maximos ac miserandos fœminarum ac puerorum, qui in summa tecta evaserunt, ejulatus, qui eò miserabiliores reddebantur, quòd

occupatis, ademptisque omnibus evadendi viis, existimabant imminere univrsarum ædium ruinam, quam sibi præsentire videbantur partim ex aliarum convulsarum audito fragore, partim quòd aqua summo impetu ac furore decurrens cuncta tremefaciebat, quæ omnia præsentem mortem ostentabant, atque (ut, quod res est, dicam) arbitrantur ædificiorum, quæ etiamnum stant, fundamenta prorsus vulsa, adhuc tamen sustinere domos; innixa videlicet lapidibus, telluri, ac reliquæ materiæ illic congestæ, quæ si aliquando tollantur (quod fieri oportet, si modo velint illic habitare) univrsis domibus imminere periculum ruinæ, quamquam (ut dictum est) vix unquam fieri posse existimatur, ut congeries tanta illinc avehatur, quæ scilicet alicubi domorum summa tecta exæquet. Venio nunc ad eam torrentis partem, quæ tertiam viam, hoc est *Rossalinorum* invasit, in qua habitatores, qui dispendii minimum sensere, vini totius ac supellectilis jacturam fecerunt, quique nec interierunt immunes à sumptibus in abducendis lapidibus ac limosa tellure, quæ non minus illic, quàm alibi restitit. Illic & cultissimi horti fœda alluvione ita sunt tellure nudati, saxisque repleti, ut vix dicas illic unquam hortos fuisse, cum non hortorum ulla facies, sed ingens lapidum acervus ubique visatur. Postrema aquarum pars, quæ per *divæ Catharinæ* viam defluxit, ita vineas & hortos illic devastavit, ut vix illic reliquerit ullum culti antehac soli vestigium, non minùs saxorum confusæque materiæ illic quàm alibi congerens domosque illic tantam saxorum copiam apparere, nam existimantur, vineas & hortos supra dictos olim fuisse Torrentis ipsius alveum, ubi multo labore ac diligentia submotis lapidibus culta ac feracia vineta fuerunt consista; postrema torrentis pars, quæ trans alveum ad sinistram decursum obtinuit, vineas omnes proximas ut alibi, devastavit. Nec verò quis hic existimet, torrentem suo cursu vias tantùm prædictas quatuor occupavisse, sed univrsa quoque inter vias easdem posita, etenim si consideretur locorum, quæ in littore occupata fuere, latitudo, tanta est, quanta balistæ gemino jactu vix assequare. Verùm ut redeam ad eos, qui in littore habitabant, hi namque subito terrore percussi,

con-

confessis, quotquot potuere navibus, nullaque assiduorum  
 imbrium injuriâ deterriti, tumidissimum Amnem ex Madiana  
 valle proveniente, trajiciebant, quamquam paucissimis tum  
 facta sit navium copia in tanta rerum omnium perturbatione;  
 quidam in littore apud Thomeorum viam habitans correptis  
 duobus liberis jussit uxorem gravidam consequi, recepturus  
 se in eam oppidi partem, in qua nihil esset ab ea alluvione  
 periculi. Is ergo per plateam iter faciens, ubi venisset ad  
 Magoriæ viam, illic cum torrentis vorticibus aliquamdiu lu-  
 ctatus videns tandem, se non posse eadem operâ & liberis,  
 quos in ulnis gestabat, & uxori adesse, dum filiolos vix tra-  
 ducit incolumes, conjunx misera undarum violentiâ victa,  
 atque ex liberorum & mariti conspectu abrepta, à vortici-  
 bus mox absorbetur, dum autem quotquot intra torrentis  
 undas comprehensi fuerunt, tot tantisque periculis afflicta-  
 rentur, non pauci ex habitantibus in ea oppidi parte, quæ vi-  
 delicet sublimior omni vacabat discrimine, modis omnibus  
 conati sunt periclitantibus suppetias ferre, sed frustra; nec  
 enim tutum erat, committere se rapidissimis undis, tum pro-  
 pter vehementem earum impetum, tam propter lapides de-  
 fluentes, obvia quæque abripietes. Hic antequam finiam,  
 opportunum videtur recensere miraculum quoddam, inter  
 alia Monachorum selecta miracula referendum. Cùm enim  
 sub noctem torrentis impetus prorsus remisisset, Franciscanus  
 quidam corrasis tribus aut quatuor suæ farinæ sodalibus ar-  
 reptoque, quod vocant, tabernaculo, in quo de more asser-  
 vatur Eucharistiæ Sacramentum, cœpit in furentis morem per-  
 vias discurrere, ac vociferari; Consequimini, consequimini,  
 inquam, me, qui Remoniæ impetum vobis præsentibus nullo  
 labore compescam: tum recta conferens se ultra Magoriæ  
 viam, in qua, (ut dictum est) torrentis unda prorsus subse-  
 derat, illicque commoratur, cœpit obnixè præcari Christum  
 in pane inclusum, & cum eo Mariam, lapidea cujus ædes  
 procul in monte visitur, ut torrentis impetum, jam prorsus  
 sedatum, sisterent, sine mora exauditus ille fausta paucis illic  
 adstantibus precatus est, sic dicens nomine Sacramenti, quod  
 in manibus gestabat. Noli te timere, ego sum Christus, at-  
 que

que in hunc modum per viam vociferans, recepit se cum suis ad cœnam : præterea non tacebo deterrimum fœtorem ex ea colluvione relictum, non absimilem videlicet fœtentibus cadaveribus, ut existimemus, ex limosi cœni graveolentia cœlum facile corruptum iri, id quod luem aliquando habitantibus parabit. Hæc igitur summam dicta sunt, nam singula persequi nimis prolixum fuerit. Etsi vera fateri volumus, nullus poterit Inundationis tanta incommoda adeo diligenter supputare, quin multum absit à vera supputatione, nam, ut antea memoravi, inter alia maxima detrimenta illud non est minimum, quòd materies illic congesta, maximo erit sumptu evacuanda, modò cupiant ædes, non dicam ad pristinam faciem, sed ad habitandum commodas reddere. Non hic prætereundum censeo, quòd eodem Inundationis die terræ motus ingens auditus est. Præterea toto ab ea illuvione die, qui Septembris septimus numeratur, repentinis imbribus rursùm auctus, rursùmque per oppidum defluens, inter alios *Cancellarii* ac *Philippi Græci* vina in cellis condita effudit. Tantus autem terror habitantium illic animos perculit, ut quotiescunque videant perviam imminere, relictis propriis ædibus, in tutiorem oppidi partem omnes sese recipiant. Verùm antequam finiam, non abs re fuerit efferre, ejus diei calamitatem universo *Locarni* ac *Bellitioni* Comitatu fuisse communem. Atque ut initio attingam rivulos aliquot in Itinere decurrentes ad sinistram euntibus *Locarno* *Belitionum*. Primum ad *Muraltum* decurrit rivus vulgò *Lucta* dictus, quem pro comperto didicimus attulisse jacturam arvis & vineis, quas alluit ad supputationem decem mille (ut parcissimè dicam) coronatorum. Cùm *Muraltum* præterieris ad *Sclopeti* jactum, offert se alius rivus *Rebisagi* nomen habens, ad cujus latus & in alveo multarum molarum moletinarum, quæ illic olim visebantur ædificia nullum nunc exstat vestigium, torrens item *Nevania* dictus, maximam arborum & vinearum in undis suis rapuit : minùs dispendii attulit alius à *Mappa* nuncupatus. Quid verò narrem de amne, cui nomen à *Valle Verzasca* : Is enim præter immensam, quam in tota valle jacturam Incolis præbuit, ubi (inter

ter alia, quæ hic omittam, incommoda) ne una quidem moletrina usquam est relicta, cum in campos cœpisset diffundi, multum circumjacentis Terræ vastavit, ita siquidem intumuerat, ut pontem quo trajicitur, cujus latitudo quadraginta, altitudo autem ad centum cubitos, vorticibus suis superavit. Porrò ad dextram, quâ Belitionum itur, ingens adeò grandinis vis universa profligavit, ut ad mille passus omnes omnium generum fruges pessum iverint, idque factum est eadem horâ, quâ Locarnensium res Remonia populabatur. Quid quod Belitionum parum absuit ab alluvionis discrimine. Ticinus siquidem Amnis effractis undique repagulis oppidum ingressus, non parvam Incolis terrorem incussit. Idem annis per Magadinum decurrens, planitiemque inter utrumque montem sitam occupans maximam jacturam universæ regioni intulit. Redeo nunc ad reliquas Locarnensis Comitatus valles, nempe *Madium*, *Onsernonum*, & quæ ad vallium multitudine *Centum valles* vulgò dicuntur, in quibus (incredibile dictu, quantam montanis istis jacturam ejus diei Inundatio attulerit, à qua nec fuerunt immunia dicta in planitie sita, hæc itaque ex multis (heu nimium vera) summam attigi, nam si singula ordine persequi cupiam, narratio ipsa apud eos, qui calamitatem hanc præsentem non spectarunt, incredibilis prorsus videretur.

Anno 1562. Die 7. Jul. mane inter 3. & 4. tanto impetu ruere & furere cœpit *Sila*, ut perruperit omnes aggeres, abduxerit Pontes, *Adlisville* & *Léimbaci*, partemque *Pontis Silani*, ad Templum D. Jacobi, aliaque plura passim intulerit damna. Maxima quoque ultra hominum memoriam altitudinis fuit *Lacus Tigurinus* diebus 7. 8. 9. 10. *Haller Chr. MS. L. XXXV. c. 6.*

Anno 1566. Die 19. & 20. Jun. Rhenus ita intumuit ut in Foro Piscatorio *Basileæ* circumfluxerit Fontis publici cisternam, & varia acciderint in urbe & rure damna. Die 3. Jul. denuo sese extulit *Rhenus*, ut tres Arcus Pontis hyeme sequenti reparari debuerint. *Urstis Chr. L. VIII. c. 29.*

Quoniam præterita Hyeme 50. numero lapsæ fuere Nives. ita inde intumuit *Lacus Tigurinus*, ut Tiguri Ædes ad Lucium, Corvum, Stellam, Granarium publicum circumnavigari potuerint. Bulling. Diar. MS.

Anno 1568. Die 29. Aug. erupit Exhydrias vehemens infra pagum *Buchs*, versus Comitatum Badensem. *Otelfingæ* cum primis senserunt damna hujus procellæ. Ædes circumfluebat Aqua, influebatque cum Glarea & Saxis: ab Aquarum vi multum abducebatur de supellectili in agros, asyla quærebant Incolæ in superioribus Ædium contignationibus, imò tecta ipsa conscendebant. *Johanni Brunnero* tres Infantes perire undis, quartus anniculus in cunis natans depositus in strue lignorum, ubi fuit salvatus. Alii rustico pessum dedit Aqua novem porcos. Obruebantur campi, prata, horti, glareâ & lapidibus, ut vix repurgari potuerint. Divisit se fluentum hocce extra pagum in duos veluti ramos, quorum alter tendebat ad pagum *Würenlos*. alter ad Cœnobium *Maris Stellæ*, uterque multa jugera Terræ dedit ruinæ, & vites radicitus abduxit. Fluxum continuavit hic torrens *Badam* usque, juxta Leprosorium enim furenti impetu devolutus viam passim ad perticæ profunditatem excavavit, & murum *Limago* vicinum unâ cum Hortis adsitis destruxit. Nec terminabatur violentia motus nisi in opposita ripa *Limagi*, ubi ita in altum crevit Aqua, ut Stationes Sclopetariorum attigerit. Funditus extirpatæ Arbores, Juglandes prægrandis molis ad jugum Pontis lapideum deductæ. Ex Urbis parte murus cum Æde ad Cervum ima sui parte suffossus. Ab altera *Limagi* parte referata Portæ obstacula, & aditus ipsius Arcis, ut præfectus, *Simon Wurstenberger*, cum tota Familia vitam in stabulo salvare necessum habuerit. Aperiebatur mox ab Aquis furentibus Porta Urbis ipsius, per quam & Pontem magna vitium Lignorumque huc advectorum copia in ipsam usque ferebantur Urbem. Sequebatur lapsus Turris ipsius eâ parte, qua Urbem spectat, & ruina Pontis. Trans montem *Legerium* devolvebatur quoque impetuosus torrens per vallem dictam *Wenthal*, qui ingens quoque pagis, horumque Incolis  
intu-

intulit damnum. In diversorio *Lengnauensi* periere novem jumenta, Aquis suffocata. Periit quoque Faber ferrarius, periclitantibus opem laturus. Ædituum abstulit quoque Aqua, qui tamen per varios casus vitam reportavit salvam. Intermixta Procellæ huic Tonitrua ac Fulmina. *Escher Chron.* ad h. a.

Anno 1570. Ingentes noxas Helvetiæ intulerunt Inundationes. *Thaurus* prope *Fischingam* molendinum abduxit cum duabus Ædibus, in quibus periere tres infantes. In Comitatu *Toggico* juvencula ab Aquis direpta periit. In Præfectura *Groningensi* Ditionis *Tigurinæ* rustico cuidam Arbores 51. fuere sedibus suis avulsæ. *Eulachia* Pontes sustulit ad pagum *Ober-Winterthur*. *Murga* murum ad *Arcis Frauenfeld* radices subvertit. *MSC. Bibl. Tig. Vitoduri* perripit *Eulachia* Pontem & Aggerem ad Portam inferiorem *Bosshart Chron. Vit.* ad h. a. Fluebat *Lacus Tigurinus* in Templo *Abbatissano*. *Haller Chron.* L. XXXVII. c. 10. In Territorio *Uriensi* omnes Pontes fuere abducti, & via per *Gothardum* ita destructa, ut novam prorsus accolæ magnis sumptibus parare necesse habuerint. *Bad. Absch.* m. Jan. 1571. §. 24. *Basileæ* Die 2. Jul. exundatione sua multa intulit damna *Birsicum*. *Urstis Chron.* L. VIII. c. 30. Die 3. Dec. ita intumuit *Arva Geneva*, ut *Rhodani* fluxum retropresserit, & cum eo in contrarias molendina iverint partes 24. horarum spatio. Scribit *Casparus Gimpert Madia vallis* tunc Præfectus ad Generum suum, post duorum *υυχθημέγων* Imbres ita Die 11. Sept. intumuisse à montibus undique præcipites aquas, ut hastæ altitudine vallem ab uno monte ad oppositum inundarint, ipso Præfecto in Arce sua non securo: Plurimæ abreptæ Ædes, Horrea, Stabula, Glareâ obducti câmpi: quinque Pontes abducti, totidem homines suffocati. De *Rhæticis* Inundationibus testes adduco *Litteras sequentes*

## T O B I A S E G L I U S .

Curiensis Ecclesiæ Minister Bullingero  
seniori. 28. Aug. 1570.

XXIII. Augusti postquam commodè satis lavissimus D. Cos. *Willius* cæterique sodales & ego, summo diluculo surreximus, & Itineri nos accinximus, relicturi tandem Fontes Fiderinos saluberrimos. Sed ecce dum miseri jam abimus, subito undiquaque rapidissimis cingimur torrentibus, qui præter omnium expectationem ex utroque monte utrinque ex alto præcipientes omnia secum rapiunt obvia. Montium quoque viscera revellebantur, & saxa ingentia glomerata, hominum fidem & multitudinem, & pondere longè excedunt. Inter alia unum & vidi & attigi, quod erat latitudine 7. pedum, longitudine 16. altitudine verò adæquabat staturam viri proceri. Hoc Aquarum vis advolutum non procul à Balnearum domicilio terræ impressit, alioquin ahenum abrupisset unà cum aggere, si paulò longiùs vi undarum fuisset provolutum. Coacti sumus fugâ salutis nostræ consulere, nec satis commodè, quò profugeremus, reperiebamus, nullo satis tuto comparente loco, & omnibus undique interitum repentinum minantibus. Vidisses hic miseram rerum faciem. Tribus enim aggeribus in propugnaculum ædificii istius factis, unà cum macello everfis. ipsum quoque Hypocaustum, quod Abbas Sangallensis inhabitarât, & paucos ante dies discesserat, subruere cœpit. Deportarant autem quâcunque ratione potuerunt in montium vertices infantulos in cunis, puerolos & reculas, quas asportare secum potuerunt. Ex verticibus Aquarum molem imò furias & minas horrendas despiciebant tristes. Hic audisses mulierum infantumque ejulatus, omnium querimonias, montium sylvarumque & Torrentium fragores horrendos. Nos in angulum quempiam nos receperamus, ubi undique Inundationibus fuimus cincti, ut dirupto jam etiam ponte ex angulo illo nostro eluctari nullo modo possemus. Totum quoque diem otiosi, imò religiosi, stabamus Domini expectantes auxilium. Crastinâ vix jactâ trabe transreperere licuit. Ac postquam domum redire, Deo ducente & pro.

protegente contigit, en videmus hic quoque, & audimus, Plessuram nostram flumen impetuosum plus centum circa Urbem nostram Curiam locis damnum intulisse gravissimum, quod juxta peritiorum Judicium vix 1000. coronatorum pretio poterit sarciri. Dominus nos à malo protegat.

Idem ad eundem 25. Sept. 1570.

Episcopus noster superioribus diebus delubra *superioris Camini Fœderis*, in quibus hæret adhuc supersticio, consecravit. Superstitiosus populus ipsum veluti Jovem cœlo delapsum veneratus est. Nescio autem, quàm benè Episcopus eis benedixerit, subsequutæ enim sunt mox Inundationes horrendæ, quæ in Superioris Fœderis locis derepente irruerunt, & avulserunt Pontes alioquin firmissimos, simul arreptis armentorum pecorumque agminibus, maximam eorum partem undis adoperuerunt, atque præfocârunt. Cadavera horum ad nos usque secundum Rhenum devoluta omnibus ingenti extiterunt miraculo. In pascuis dicuntur fuisse capita 100. ex quibus incolumbia evasisse duntaxat 18. & quidem vix, reliqua in universum omnia cœno sunt immersa, & aquis præfocata. Boves 8. & aliquot sues ad nos usque sunt devolutæ. Non procul ab *Ilantio* profugerunt abactæ in Pontem quemdam Capræ plus minus 100. sed Ponte præter omnium expectationem convulso & disjecto Capræ simul interiëre omnes. D. *Ægidio Landtrichtero* prædium perdidit hæc eluvio, quod nemini vendidisset pretio 3000. coronatorum: Immen- sam Lignorum copiam in vicinia & apud nos aggregavit. Dicuntur à nonnullis & hominum præfocatorum aquis corpora præterfluxisse. Quod quàm sit verum non facile dixerò, absurdum certè non est in tanta Aquarum Inundatione & Furia.

Anno 1571. primis tribus diebus Decembris absque intermissione cecidit pluvia, unde intumuerunt *Rhenus, Danubius, Rhodanus*, & multæ secutæ Inundationes. Ex *MSC. Abbatisc.* abduxit *Ticinus Lugani* (melius *Locarni*) 195. ædes cum 7. hominibus.

rint abducti Pontes, aliave damna illata *Tschud Glarn. Chron.* ad h. a. *Arva Geneva* ita intumuit, ut *Rhodanus* refluerit versus *Lacum*. *Spon. Hist. de Gen.* p. 11. 244.

Anno 1652. iterum Decembri Mense tanto impetu *Rhodano* inferebatur *Arva*, ut retroactum fuerit Flumen in *Lacum Lemanium*. Sed forsan referri debet hoc ad Annum præcedentem.

Anno 1659. 11. Sept. occasione procellæ effusæ ita in Ditione *Glaronensi* crevere *Linha & Sernsta*, ut multi Pontes fuerint abducti, aliaque damna illata. *Tschud. Glarn. Chr.* ad h. a.

Anno 1664. eò altitudinis accrevit *Lacus Tigurinus*, ut majoribus navibus transnavigarint aream *Lucio* vicinam, *Hechtplatz*. Elevata Aqua 18. digitos supra murum ibi aggeris loco extractum. *Escher Zürichsee* p. 168.

Anno 1673. 26. Jun. Procellam insecuta est tanta *Aquarum* in *Abbatiscellano* Territorio intumescencia, ut ultra *Martini Pontem*, qui *Goldachæ* ripas jungit, aliquot Pontes fuerint avecti. *Bischoffberg. Appenz. Chron.* p. 54. *Basileæ* hoc anno ita intumuit *Rhenus*, ut ex Ponte Aqua hauriri potuerit, & plateæ passim fuerint inundatæ. *Paravicin-Kernhist.* ad h. a.

Qui Cataclysmographiam desiderat continuatam ad nostra usque tempora, inveniet eam apud Typographum. Silæ An. 1732. exundationem Ligno incidit xylo-& chalcographus Redingius. Aliquot etiam ejusdem Silæ exundantis prospectus affabrè delineavit peritissimus Pictor, amicus ex optimis, Melchior Füeslinus, quos forsitan Æri tradet incidendos. Hæc Lectorem monere volui.

*Überschwemmungen*